DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

PVERPERIO INFELICI VLCERIS VTERINI FREQVENTIORI CAVSA

QVAM
ANNVENTE SVMMO NVMINE
CONSENTIENTE ORDINE AMPLISSIMO MEDICO
IN ALMA FRIDERICIANA
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMOQVE

DN. D. JOANNE JVNCKERO
MEDICINÆ PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
PATRONO AC PRÆCEPTORE PIE DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS AC PRIVILEGIIS LEGITIME IMPETRANDIS
Anno MDCCXLI. d. April.

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVCTOR

JOANNES GEORGIVS HOFFMANNVS
VINSHEMIO-FRANCVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



PROOEMIVM.



Ultam omnino omni ævo Medici curam ac cogitationem in morbos ſexus ſequioris, præcipue puerperarum, perveſtigandos & evolvendos contulerunt: tantum autem abeſt, ut id negotium abſolverint, ut potius multum laboris etiamnum relictum videatur. Ipſe *Hippocrates*, primus ex iis, qui artem medicam excoluerunt, pulchra hujus rei monumenta poſteritati tradidit, & de puerperis pronuntiavit, quod uti graviter vulneratæ tractandæ ſint. Quæ ſane aſſertio ſicut admodum me-

morabilis est; ita ex eadem multas conclusiones formare, multaque consectaria derivare licet. Si enim istæ vulnerationes, quæ in exterioribus corporis partibus contingunt, non omnis periculi expertes sunt, sed aliæ absolutam, aliæ autem accidentalem inferunt lethalitatem: sequitur omnino, interiorum partium læsiones, quibus auxiliatrix manus immediate admoveri nequit, majoris longe esse considerationis; id quod speciatim de uteri vulneratione post partum præcipue infelicem affirmandum esse credo. Non rara, sed frequens auditur querela, puerperium *primum* etiam fuisse *ultimum*, vel certe puerperium ultimum exstitisse initium multorum morborum, cujus sinistri illa eventus causa tantum non semper in læsione uteri quacumque ponenda est. Unde sane convenit, ut Medici, qui in sexus sequioris morbis indagandis feliciter agere cupiunt, primario ad mensium fluxum & puerperii terminum ultimum respiciant. Si enim femina ab illo ultimi puerperii termino de doloribus spasticis in regione inguinali & de fluore albo pertinaciter & acriter continuante, nullisque medicamentis cedente conqueritur, læsionem uterinam in causis

ſis eſſe, juſtiſſime ominari licet. Mihi, ex quo exercitiis clinico-practicis intereſſe licuit, complures ejusmodi caſus innotuerunt, quumque tot calamitates & noxæ ex puerperio infelici prægreſſo reſultent, hocce thema de puerperio infelici, ulceris uterini frequentiori cauſa, ſpeciminis inauguralis loco ſeligere & pertractare in animum induxi. Faxit Deus, ut hic labor eum, quem præfixum habeo, finem aſſequatur.

§. I.

PArtes ſolidæ corporis humani, in ſtatu integro ſibi cohærentes, *continuum* quoddam conſtituunt: Si autem illa partium cohæſio tollitur, *ſolutionem continui* prædicamus. Eſt ergo ſolutio continui ſublata cohæſio partium.

§. II.

Facta ſolutione continui (§. I.) in vaſis ſanguiferis, ſanguinem effluere animadvertimus. Talis profuſio ſanguinis ex vaſis *hæmorrhagia*, ipſa autem ſolutio continui violenta cum hæmorrhagia enata *vulnus* dicitur.

§. III.

Quando affluxus ſanguinis major verſus partem quandam corporis contingit, accumulatio iſta humorum, adhuc circulantium, *congeſtio*, non amplius autem libere circulantium, *ſtagnatio*, plene demum ſubſiſtentium, *ſtaſis* appellatur. Differt ſtaſis pro diverſitate hu-

morum: Si enim ſanguis ſtricte dictus in parte quadam ſubſiſtit, ſtaſis *ſanguinea*, ſi reliqui humores motu ſuo privantur, *lymphatico-ſeroſa* nominatur: datur etiam ſtaſis *mixta* ex ſanguine & reliquis orta.

§. IV.

Staſin ſanguineam (§. III.) ſucceſſive in tumorem, qui cum rubore, ardore & dolore prodit, abire novimus, & hunc tumorem *inflammatorium* vocare ſolemus.

§. V.

Diſcuſſio tumoris inflammatorii (§. IV.) eſt ſuccesſiva reſolutio particularum, quæ ſtaſin illam formaverunt, ſui autem juris factæ cum reliquis iterum moventur.

§. VI.

Si diſcuſſio (§. V.) tumoris inflammatorii obtineri nequit, ſed particulæ tantum ſulphureæ, maxime agiles, ſubtrahuntur, & languentes remanent, tunc hæ paullatim mutantur in ſubſtantiam liquidam, albam, inſipidam, pultiformem, quæ *pus* vocatur, ipſa vera mutatio in pus *ſuppuratio* nominatur.

§. VII.

Collectio materiæ, ſuppurationem (§. VI.) in parte quadam ſubeuntis, *apoſtema*, ſeu *abſceſſus* audit.

§. VIII.

Quod ſi affluxus ſanguinis major ſtaſin, tumorem & inde pendentem ruborem, ardorem doloremque exauget, inflammatio etiam augeatur neceſſe eſt. Talis inflammatio ſumme aucta *gangrænæ* nomine venit.

§. IX.

Quando in tumore inflammatorio particulæ ſulphu-

phureæ, maxime agiles, ob quodcunque impedimentum auferri non possunt, promovent illæ putredinem cum destructione partis conjunctam, quæ corruptio *sphacelus* appellatur.

§. X.

Tumor, qui neque per discussionem (§. V.) neque per suppurationem (§. VI.) tollitur, sed duritiem assumit, *scirrhus* audit. Est ergo scirrhus tumor induratus, qui pro differentia humorum illum constituentium est vel *sanguineus*, dolens, vel *seroso-lymphalis*, indolens, vel *mixtus*, medio loco se habens.

§. XI.

Solutione continui facta in parte quadam exsangui, porosa, fluidum tenuissimum, minus glutinosum exstillans, *sanies*, seu *ichor* vocatur. Et licet materia exstillans sit subalbida, sive subrubicunda, sive fœtida, sive minus fœtida, saniosi tamen humoris nomen obtinet.

§. XII.

Solutio continui cum effluxu saniei (§. XI.) conjuncta *ulcus* compellatur.

§. XIII.

Si in tumore inflammatorio partes maxime agiles *repente* omnes fugam capessunt, & reliquæ languentes spissiores solæ remanentes coagulantur, & folliculo includuntur, tum hæc collectio materiæ coagulatæ & inclusæ dicitur *dispositio ulcerosa seu status ulcerosus*, resolutio autem hujus materiæ corruptæ, ichorosæ vera *ulceratio*, seu *status ulceratus*.

§. XIV.

§. XIV.

Ulceris uterini, ex puerperio infelici oriundi, caussam ac indolem investigaturus, sub ipso statim limine hujus tractationis monendum, quod puerperium sensu latiori hic sumendum sit. Illud nempe tempus, quo motus foetum expellentes sese sistunt, & quo partus excluditur atque repurgatio uteri absolvitur. Apparet inde liquido, quod puerperii limites non tantum ad istam periodum, quae sequitur foetus exclusionem, sed & ad partum ipsum instantem transferendi mihi animus sit. Non quidem inficiandum esseduco, illud tempus, quorepurgatio uteri, refocillatio virium, sub partu ipso intensarum, & lactis proventus obtinetur, proprie dici puerperium: quoniam autem partus & puerperium inter se sunt connexa, & negotium partus *praecipue* etiam ulceri uterino, de quo instituti mei ratio agit, primam pandere potest & solet portam, contradicturum spero neminem, quod partus ipse ad puerperium sit transferendus. Cum itaque illud tempus, quod vocavi puerperium, speciatim ulceris uterini opportunum sit initium, ipsas caussas hujus mali, ex notione puerperii data derivandi, evolvere, mearum erit partium.

§. XV.

Caussas affectus hujus ut eo melius perspectas exploratasque habeamus, ipsa structura uteri paululum erit explicanda. Anatome monstrat:

I. Ad uterum multa & capacia vasa sanguifera arteriosa decurrere.

II. Per totam substantiam uteri vasa sanguifera ramificationibus mirifice flexis, & anastomosibus manifestis praedita deprehendi.

III. Prae-

III. Præterea hæc vaſa uteri tenerioris ac mollioris eſſe texturæ.

IV. Internam autem villoſam uteri membranam eſſe poroſam ac poſt partum præcipue ſinuoſam.

V. Uteri denique fundo annecti duos canales, *Tubas Fallopii* dictos, qui una extremitate in cavum uteri hiant, altera autem incurvato ſitu ad ovaria tendunt.

§. XVI.

Ex phyſiologicis edocemur:

I. Fœtum, in utero latitantem, duabus membranis, *Amnio* & *Chorio* involutum eſſe, quæ poſterior & exterior tunica repleta eſt vaſculis, *placentam uterinam* conſtituentibus.

II. Fœtum ex hiſce vaſculis dilatatis placentæ lympham & ſanguinem nutritium in ſui alimentum recipere.

III. Membranas has, quibus fœtus incluſus hæret, cum funiculi umbilicalis portione & placenta ſub nomine *ſecundinarum* comprehendi.

IV. Totum negotium partus contractione fibrarum uteri ſpaſtica abſolvi, & motus inde ortos *niſus* dici parturiendi.

§. XVII.

Plethora eſt abundantia ſanguinis in vaſis. Ergo cum multa vaſa arterioſa ſanguinem ad uterum deferant, (§. XV. no. I.) fœtus vero tempore geſtationis in utero hunc ſanguinem & lympham nutritiam ex placentæ vaſculis dilatatis in ſui alimentum recipiat, (§. XVI. no. II.) neceſſe eſt, ut, quicunque ſanguis, ad vaſa uterina delatus, non convertitur in incrementum fœtus, ille tam in

in ramificationibus uteri vario modo flexis, quam in reliquis vasis, præcipue in vena portæ restagnans abundantiam & sic plethoram producat. Ergo gravidæ ex hac ratione plethoricæ fieri incipiunt, & ex hoc fonte pleraque symtomata durante graviditate suam ducunt originem. Exinde facile deduci potest, quam prudenter agant Medici, qui gravidis, varia incommoda intra graviditatis terminum persentientibus, venæ sectiones opportunas suadent.

§. XVIII.

Novimus, fibras corporis humani tam relaxari, quam iterum constringi. Fibris, vasa componentibus, alternantem hanc dilatationem & constrictionem subeuntibus *motum tonicum* vindicamus. Motus ergo tonicus est alternans dilatatio ac contractio fibrarum, vasa constituentium. Quod si hæc dilatatio ac constrictio fibrarum alternatim non rite succedit, sed vel dilatatio nimium in modum intenditur, & contractio cessat, vel constrictio augetur, & dilatatio imminuitur, motus tonicus *læsus* dicitur.

§. XIX.

Fluida corporis humani in statu integro in fibras vasorum agere, & fibras huic actioni fluidorum decenter reniti, seu resistere, in propatulo est. Fibræ vasorum, hoc renisu destitutæ, vocantur *debiles*.

§. XX.

Tempore gestationis in utero abundantia sanguinis in vasis uterinis sine expansione vasorum consistere nequit. Quo major nunc est actio sanguinis in fibras vasorum,

ſorum, quantitate nimia ſanguinis oppletorum, eo minus fibræ ſanguini decenter reſiſtere poſſunt; Ergo oritur *debilitas* (§. XIX.). Et quia vaſa uteri tenerioris ac mollioris ſunt texturæ, (§. XV. no. III.) neceſſe eſt, ut, aucta in dies quantitate ſanguinis, expanſio quidem major vaſorum, minor autem reniſus, adeoque major eorum debilitas exoriatur. Sed natura fibrarum hæc eſt, ut expanſionem ſeu dilatationem alternatim excipiat contractio, & hic motus alternans dicitur tonicus, (§.XVIII.) Ergo ubi dilatatio vaſorum nimium in modum augetur, & conſtrictio imminuitur, ibi ipſe motus tonicus læditur.

§. XXI.

Motibus corporis quibuscunque præcedentibus juſto fortioribus, diæta lauta, vinoſa ac aromatica prægreſſa, animi pathematibus nimis vehementibus exortis, rarefactionem ſanguinis, & hinc ſubſequentem expanſionem vaſorum, ſeu, ut paucis dicam, *plethoræ commotionem* jungi, animadvertimus. Quo demum cunque modo ſanguis majori quantitate & impetu fertur verſus vaſa, a natura debiliora, eo ipſo tanta vis ſanguinis in vaſa fit, ut minus reſiſtere poſſint; Ergo ſequitur *ruptura*. In feminis, quæ motibus corporis excedentibus, diætæ lautæ, ſpirituoſæ ac aromaticæ, nec non animi pathematibus fortioribus indulgent, talis plethoræ commotio ac impetus nimius ſanguinis verſus vaſa uteri debilia producitur: Ergo & in his talis ruptura vaſorum uterinorum fieri poteſt & ſolet. Vaſa corporis humani in ſtatu integro inter ſe cohærentia conſtituunt continuum, (§. I.) Ergo ruptis vaſis uteri ſolutio continui fieri debet. Vehunt hæc vaſa ſanguinem; Ergo

ſolutione continui facta ex vaſculis uteri profuſio ſanguinis, ergo *hæmorrhagia uterina*, ergo ipſum *vulnus* enaſcitur. (§. II.). Ex hoc fundamento patet, quare feminæ, ceſſante menſtruo fluxu, non ita raro incidant in hæmorrhagiam uterinam.

§. XXII.

In majus periculum hæmorrhagia uterina, partui antecedens, gravidas conjicit. Cum enim in hæmorrhagia uterina orificia vaſorum uterinorum ſint rupta (§. XXI.) hiſce vero orificiis tunicæ *Chorii* vaſcula dilatata, placentam uteri conſtituentia, jungantur (§. XVI. no. I.) & ex his fœtus ſuum nutrimentum recipiat; (§. cit. no. II.) ſequitur, ut vaſculis hiſce ruptis communio vaſorum uteri cum vaſculis, placentam formantibus, intercidatur, ergo fœtui alimentum neceſſarium ſubtrahitur, quo ſubtracto mors fœtus præſto eſt. Involutus autem eſt fœtus in utero duabus tunicis, quæ cum portione funiculi umbilicalis & placenta uterina ſecundinas conſtituunt (§. cit. no. III.) unde ruptis orificiis vaſorum uteri, cum vaſculis dilatatis placentæ antea connexis, ipſæ tunicæ nec non placenta ab utero ſeparantur, & accedentibus demum motibus ſpaſticis conſtrictoriis uteri, qui *niſus parturiendi* audiunt, & fœtus excluſionem promovent, (§. cit. no. IV.) fœtus mortuus expellitur. Excluſio hæc fœtus mortui dicitur *abortus*, ipſa vero impetuoſa profuſio ſanguinis antecedens cum ſubſequente fœtus mortui expulſione *hæmorrhagia* audit *abortiva*.

§. XXIII.

Ergo cum hæmorrhagia tam uterina (§. XXI.) quam abor-

abortiva (§. XXII.) in profusione impetuosa sanguinis, ex ruptis vasculis uterinis provenientis consistat, vascula vero uterina per totam substantiam uteri ramificationes dispergant, & tenerioris sint structuræ; (§. XV. no. II. & III.) consequens erit, ut ruptis his vasis major debilitas, hinc minor renisus subsequatur. (§. XX.) Jam vero secundum leges hydraulicas fluidum semper movetur versus eum locum, ubi minor est resistentia; Ergo & hic versus vasa uteri rupta, ubi minor est resistentia, sanguis moveri debet. Affluxus sanguinis major versus partem quandam corporis directus producit *congestionem*, hæc, accumulatis humoribus in parte ista non amplius libere circulantibus, *stasin* (§. III.) excitat; ergo ruptis his vasis uterinis congestiones & stases oriri possunt. Sicut autem humores in parte quadam accumulati variant, ita stases, indeque propullulantes effectus variare debent. Ad uterum multa vasa sanguifera arteriosa decurrunt, (§. XV. no. I.) ergo hic præcipue stasis sanguinea nasci potest. Staseos sanguineæ effectus sunt tumor, rubor, ardor & dolor partis, seu *inflammatio* (§. IV.) ergo & idem eventus huic stasi sanguineæ supervenit. Si stasis inflammatoria discussionem renuit, & materia intus contenta purulenta in parte quadam colligitur, oritur inde *abscessus*. (§. VII.) Quia autem abscessus in partibus internis nec mundificationem, nec æqualem absterſionem materiæ purulentæ admittit, ideo hæc materia ex diuturniori stasi tandem *corruptionem* ac resolutionem pleniorem subit, unde vera *exulceratio* (§. XIII.) exsurgit.

§. XXIV.

Cum sanguine ad uterum delato succus quoque nutritius in poris membranæ internæ uteri villosæ dictæ copiose deponitur & accumulatur, qui extra circulum constitutus cum sero adhuc complicato stagnationem facile subit. Quo diutius autem serum stagnat, eo acriorem induit indolem, ergo magis erodit partes vicinas, ergo fit solutio continui cum ichorosi humoris proventu conjuncta, ergo enascitur ulcus. (§. XII.) Sed quia in sero non tam agiles ac facile putrescentes partes, quam quidem in sanguinea stasi, deprehenduntur, idcirco stasin serosam non tam cito pede corruptio & exulceratio vera sequuntur, sed ab initio tantum datur infarctus ac collectio materiæ serosæ coagulatæ, folliculo plerumque inclusæ, quæ statum refert ulcerosum. (§. XIII.) Ex collatione hujus staseos serosæ cum stasi sanguinea (§. XXIII.) facile patet, quam malæ sit indolis *stasis mixta*, sanguineo-serosa. Licet enim corruptio salsa celerem sanguinis corrupti putredinem infringat, acredine tamen sua partes contiguas erodit, & materiam ichorosam semi-putridam fundit, quæ exulceratio dicitur *cancroidea*.

§. XXV.

Ex dictis (§. XXIII. & XXIV.) nunc concludo:

I. Quo crebrior talis ruptura vasorum uteri prægressa est, eo minus felici successu consolidatio obtinetur; sed quo crebrior abortus prægressus est, eo crebrior etiam vasorum uteri ruptura adfuit; Ergo abortu jam crebriori prægresso vascula hæc uterina ægre ad unio-

nionem & consolidationem perducuntur. Vid. *Illustr.* HOFFMANN. *medic. ration. systhem. tom. I. libr. I. sect. II. cap. XIII. p. m. 247.*

II. Ubicunque est stasis, ibi etiam effectus inde pendentes simul sese manifestant; sed effectus staseos sanguineæ sunt inflammatio, abscessus ac exulceratio (§. XXIII.) & eventus staseos serosæ est itidem vel status ulcerosus vel ulceratus. (§. XXIV.) Ergo ubivis vel inflammatio, vel abscessus vel ulcus oriri potest. Inflammatio testatur de tumore, rubore, ardore ac dolore (§. IV.) abscessus de collectione materiæ purulentæ (§. VI.) & ulcus de profluxu saniosi humoris; (§. XII.) Ergo ubi tumor, rubor, ardor ac dolor, ibi inflammatio, ubi pus, ibi abscessus, seu apostema, & ubi sanies, ibi datur ulcus. Atque inde elucescit, quomodo generatim ulcus uterinum progigni possit. Mea interim hæc minime est sententia, ac si sola hæmorrhagia uterina semper causa exsistat ulceris ejusmodi uterini: aliæ enim causæ graviores, nunc recensendæ, supervenire possunt. Præmisi autem hanc demonstrationem generaliorem, ut ne opus haberem, in sequentibus ad modum fiendi & generandi ulceris uterini provocare.

§. XXVI.

Licet ergo feminæ, hæmorrhagiam qualemcunque uterinam perpessæ, ob prægressam ruptionem vasorum uteri ac inde subsequentem stasin ulcerationis uterinæ metum incurrant, (§. XXIII.) tamen & in partu & post eundem prægnantes causæ, quæ huic malo fomitem submini-

ministrant, concurrere possunt. Quem in censum veniunt *fœtus mortuus*, in utero retentus, *læsio interna*, manu chirurgi vel obstetricis imperitæ inducta, *secundinæ retentæ* ac violenta extractio earundem, *conceptio tubarum Fallopii*, *ovarii*, *mola* & denique *lochiorum* fluxus suppressus, de quibus singulis erit agendum.

§. XXVII.

De fœtu mortuo, sed in cavitate uteri retento, qui ruptis jam membranis, quibus inclusus fuit, demum exspiravit, ea, quæ §. XXIII. dicta sunt, longe celeriori gradu sese invicem excipere, nisi motus spastici, fœtum mortuum expellentes, mature accedant, existimo. Cum enim experientia doceat, corpora mortua corruptionem putredinosam cito subire, eandem etiam fœtus mortuus in utero materno subeat, necesse est. Corruptio vero putredinosa cum destructione partium vicinarum dicitur *sphacelus*; (§. IX.) Ergo fœtum mortuum sphacelus cito pede sequitur. Pars vicina, quæ per hanc corruptionem putredinosam destruitur, est membrana uteri villosa, porosa, in qua partes lymphatico-serosæ stasin subire possunt; (§. XXIV.) Ergo hac destructa serum acrius redditum, ichorosum profluit. Solutio continui cum ichorosi humoris proventu indicat ulcus; (§. XII.) Ergo & hic ulcus uterinum enascitur. Quæ observatio moneat medicum, ut signis fœtus mortui jam perspectis habitis ad extractionem ejusdem properet, ne putredo funestum sortiatur eventum. Ast ubi fœtus in utero, membranis nondum ruptis, nec aquis effusis, jam exspiravit, ibi minus frequens & minus celer observatur talis corruptio putredinosa. Quamdiu enim fœtus mortuus integumentis

suis

ſuis adhuc incluſus aquis innatat, tamdiu inſtrumentum corruptionis celerioris eidem accedere nequit, quare corruptio tardius ſuccedit.

§. XXVIII.

Ipſa *extractio fœtus mortui* multum ad generationem ulceris uterini conferre poteſt. Quia enim extractio fœtus mortui, tradente *Excel.* D. D. PRÆSIDE, *Patrono ac Præceptore, gratiſſima ſemper mente colendo*, hamulo peculiari, quem infantis oculo infigunt, vel juxta *Cel.* MAVRICEAV cultro bipenni, vel etiam neglectis talibus inſtrumentis, ſolis digitis, fonticulum capitis rumpendo, cerebrum evacuando, & bregmata manui involuta educendo, ſuſcipitur: Vid. *ejus conſpect. chirurg. medic. Tab. CII. p. m. 655.* ideo a manu improvida chirurgi, extractionem inſtrumentis tentantis, vel etiam digitis obſtetricis imperitæ, membranæ internæ uteri villoſæ arroſio, hincque ulcus induci poteſt. (§. XXVII.) Prudentis ergo eſt Medici, ut chirurgum & obſtetricem conſilio & auxilio dirigat, omnesque perverſas actiones ac machinationes avertat, nec facile aliam, quam manualem extractionem, niſi in caſu ſummæ neceſſitatis, concedat.

§. XXIX.

Confert etiam multum ad producendum ulcus uterinum in parturientibus *ſecundinarum retentio.* Quando enim uterus poſt partum mox iterum clauditur, ſecundinæ non ſat cito expeditæ, ſed retentæ eadem mala, quæ qùidem fœtus mortuus in utero excitare poteſt, (§. XXVII.) inducunt, eadem nempe corruptio putredino-

ſa & idem ulcus putridum enaſcitur. Aliquando nimis firma datur connexio ſecundinarum, cum uteri ſubſtantia interiori concretarum, quæ itidem ulceri uterino favet. Cum enim omnem partum naturalem ſequatur ſtatim excluſio ſecundinarum, & has ſecundinas tunicæ, quibus fœtus involutus in utero hæſit, nec non placenta cum portione funiculi umbilicalis conſtituant; (§. XVI. no. III.) ſequitur, ut, ſi nimis fortiter cum uteri ſubſtantia cohærent, nec ſponte natura tractionem lenem funiculi umbilicalis ſequuntur, tunc ſane arte atque manu chirurgi vel obſtetricis peritæ, judicio & notitia quadam anatomica inſtructæ, ſeparatio harum ſecundinarum tentanda ſit. Jam vero membrana uteri interna villoſa poſt partum tactui maxime ſeſe offert ſinuoſa ac rugoſa, (§. XV. no. IV.) quare ubi chirurgus vel obſtetrix minus bene diſtinguere novit ſecundinas ab ipſa membrana interna uteri ſinuoſa, ibi læſio hujus membranæ atque ulceratio uterina ſubſequi poteſt. Hæc eſt ratio, quod, ſi ſecundinæ nimis firme concretæ ſunt cum uteri ſubſtantia, ſufficientia autem imminentis partus indicia proſtant, obſtetrix perita & cauta non tam unguibus digitorum, nec acicula, quam potius ſcalpello, ſuperius obtuſo, ſecundinas diſſolvere debeat. Confer. *Excel.* D. D. PRÆSIDIS *Conſpect. medicin. theoret - pract. p. m. 995.*

§. XXX.

Cum itaque tam extractio fœtus mortui quam ſecundinarum in utero retentarum non ſine violentia quadam externa peragatur, & hæc a manu vel chirurgi vel obſtetricis inducta ulceris uterini exiſtat cauſa; (§. XXVIII. & XXIX.)

& XXIX.) ſequitur, omnem violentiam in partu ſedulo eſſe evitandam. Verum enim vero magnus adhuc error ab obſtetricibus committitur, quod ſecundinas, fœtus excluſionem non ſtatim & ſponte ſecuturas, juſto fortiori conatu attrahendi funiculum umbilicalem vel ex parte tantum liberent & avellant, vel certe improvida iſta tractione eundem plane disrumpant, reliquamque portionem in utero relinquant, quæ reliquiæ eadem fere corruptionis conſectaria adferunt, quæ de fœtu mortuo (§. XXVII.) expoſui. Quare peritæ & cautæ obſtetricis eſt, ſecundinas excluſas probe intueri, utramque extremitatem ruptarum membranarum coaptare, & num ubique exacte ſibi reſpondeant, diſpicere.

§. XXXI.

Sectiones cadaverum docent, quod *conceptiones tubarum Fallopii* & *ovariorum*, quæ collectionem grumoſam, fibroſam, carnoſam ac ſcirrhoſam continent, non amplius in dubium ſint vocandæ. Hæ collectiones & concretiones uti ſtatum ulceroſum (§. XIII.) conſtituunt, ita quamdiu inſtrumentum corruptionis, humidum puta, accedere nequit, tamdiu manifeſtior corruptio, ſeu vera exulceratio non ſubſequitur. Interim tamen ex eo patet, quod ſub ulcere uterino ſtatus ulceroſus vel ulceratus non tantum in ipſa cavitate uteri, ſed & in partibus vicinis, utero annexis, uti hæ ſunt *tubæ Fallopii* & *ovaria*, *ſit* ponendus. *Molam*, quia eſt itidem concrementum fibroſum vel carnoſum, concurrere ad cauſas hujus affectus uterini, ex dictis jam innoteſcit.

§. XXXII.

Perſpectis cauſis, quæ in partu potiſſimum ulceri uterino januam patefaciunt, jam poſt partum illud tempus, quod proprie dicitur puerperium (§. XIV.) ſeſe offert conſiderandum. Placenta, quæ ex tenuiſſimis vaſculis dilatatis membranæ exterioris, *chorii* dictæ, conſtat, (§. XVI. no. I.) cum ipſa membrana uteri interiori villoſa poroſa connexa eſt. Si itaque fœtus excluditur, placenta ab hac membrana avelli debet. Facta ſeparatione neceſſe eſt, ut tenuiſſima vaſcula ac pori hujus membranæ dilacerentur. Vaſa dilacerata plorant ſanguinem, intra tempus graviditatis circa confinia vaſcula uteri & in iisdem accumulatum, (§. XVII.) hinc quamdiu pori hujus membranæ interioris ſunt ſatis aperti, globulos ſanguineos transmittunt; quamprimum autem ſucceſſive coarctantur, licet non plane occludantur, ſerum dimittunt ſubcruentum. Excretio hæc ſanguinis primo rubicundi, deinde ſubcruenti, ex oſculis vaſorum uteri poſt partum facta dicitur *lochiorum fluxus*, ſeu *lochia:* qui fluxus ſanguinis per dies quatuor vel quinque, fluxus vero ſeri ſubcruenti per ſeptem & plures dies ab excluſione fœtus facta ſeſe extendit.

§. XXXIII.

Sicut in præcedentibus cauſis, ulceri uterino materiam miniſtrantibus, modum, quo ulceratio uteri enaſci poſſit, oſtendi, ita in hac re ulterius explicanda paululum ſubſiſtere eo magis conveniet, quo frequentior hic eſt modus, ulcus uterinum ex ſuppreſſione lochiorum derivandi. Sive enim motum tonicum vaſorum uteri

teri læſum, ſive animi pathemata, uti mœrorem, timorem, terrorem, triſtitiam, pudorem, ſive retentas ſecundinas, ſive abuſum rerum non naturalium conſideremus, in omnibus expedita datur via, concludendi ad ſuppreſſionem lochiorum. Si perpendimus vaſa uterina, circa ipſum tempus partus ſanguine accumulato oppleta, cognoſcimus contractionem fibrarum uteri imminutam, ergo motum tonicum læſum. (§. XVIII.) Contractio fibrarum imminuta dilatationem auctam ſupponit, ergo major infarctus vaſorum & ſtaſis, unde lochiorum ſuppreſſio pendet, oritur. Si reſpicimus animi pathemata modo nominata, in omnibus motus ſanguinis debilior & major reſiſtentia vaſorum, ergo impotentia transmittendi ſanguinem deprehenditur. Quando conſideramus ſecundinas, vel ex toto, vel ex parte retentas, & ſubſtantiæ uteri accretas, cognoſcimus, vaſa uterum & placentam intercedentia nondum eſſe rupta, quare etiam excretio ſanguinis, quæ lochiorum fluxus audit, (§. XXXII.) ſuccedere nequit. Denique ſi res non naturales, inprimis vero refrigeratio repentina ac reliquorum diæteticorum mediorum abuſus in puerpera præceſſerunt, facile intelligimus, quod infarctus, coagula, ſtaſes & lochiorum ſuppreſſiones inde proveniant.

§. XXXIV.

Lochia ſuppreſſa, quia ſtaſin ſupponunt, (§.XXXIII.) ſtaſeos etiam effectus ſequantur, neceſſe eſt. Quando in ſtaſi ſanguinis agiles & volatiles maxime particulæ repente diſpelluntur, & languidiores ſolæ in coagulum quoddam condenſantur, effectus ſtaſeos quoque eſt languidus, & diſpoſitionem tantum ulceroſam (§. XIII.) innuit,

nuit, quæ in plures sæpe annos differri potest: Sin in stasi sanguinis motus particulares inflammatorii exsurgunt, & particulæ agiles successive subtrahuntur, & languentes suppurationem (§. VI.) subeunt, abscessus ibi relinquuntur. Et licet gangræna & sphacelus raro occurrant in corpore nostro, abscessus tamen, qui in partibus interioribus corporis suborti nec decenter mundificari nec sanari possunt, frequenter degenerant in ulcera pessimi moris. (§. XXIII.)

§. XXXV.

Feminas, quæ lochiorum suppressionem & læsionem uteri sub partu sustinuerunt, sæpe infestat tumor præternaturalis uteri durus, a stasi mixta (§. III.) enatus, *cancri* nomine veniens. Quando enim humores spissiores ad uteri poros depositi per angustias horum pororum serum blandum subtilius dimittunt, hi dein inspissati ac coagulati scirrhosam materiam, quæ fœcundissima status ulcerosi mater est, generant. In hac ubi particulæ seri acriores concentratæ eminent, & temperatæ blandioribus remixtis particulis silent, *scirrhus* salutatur *cancrosus.* Si sanguini, per arterias ad uterum copiosius delato, secessus occluditur, indeque stasis ac inflammatio exacerbatur, salia vero acria in motu sunt constituta, & serum blandum consumitur, scirrhus malignus *cancri occulti* nomine insigniendus venit. Si salia acerrima porosam substantiam uteri, ac dein vasa sanguifera arrodunt & solvunt, ulcus prodit, quod ob miscelam sanguinis ac seri corrupti *cancer apertus*, seu *exulceratus* audit. Illucescit itaque, ulceris cancrosi uterini genesin duplici corruptione & sanguinea & sorosa absolvi: Illa a sulphu-

ſulphuris liberiori evolutione dependens ad putredinem proclivis eſt; hæc vero a ſalibus acerrimis concentratis, ſero blando deſtitutis, proveniens putredini reſiſtit, ſed partes molles latius ſubinde depaſcit.

§. XXXVI.

Ex his dictis jam ſatis innoteſcere poterit, puerperas præcipue, quia in his plures concurrunt cauſæ, ulceri uterino expoſitas eſſe. Puellis quidem æque ac feminis maritatis menſium ſuppreſſio ſolemnis eſt; quare æque ac in lochiorum ſuppreſſione ſtaſes & ulcerationes uterinæ oboriri poſſunt: Verum quia in menſium ſuppreſſione non tot cauſæ, læſionem uteri inducentes, ſeſe manifeſtant, quot quidem in puerperio conſpirant, obſtructionem menſium in hanc ſeriem cauſarum vocare nolui. Experientia enim confirmat, quod licet menſium ſuppreſſio protracta ſit, corruptionis tamen conſectaria non facile ſequantur; nam motus particulares ſpaſtici non raro in univerſales febriles transeunt, & ſic ſanguinem ſtagnantem reſolvunt in ſerum, & ſudoris forma e poris cutaneis excernunt. Interim locum hic mihi videtur habere menſium obſtructio inveterata, quæ motum talem univerſalem non experitur. Staſis enim pertinacior ſanguinis coagulum & infarctum in vaſis uterinis ſupponit, ulcerationique uterinæ anſam facile præbere poteſt. Apparet inde, feminas, quibus alias menſium ataxiæ fuere familiares, præ reliquis hocce malum facilius ſubire, quia infarctus vaſorum uteri conſuetudine longa ſunt confirmati, & coagula ſanguinea relicta licet languida fuerint, in ulcerationem tamen demum erumpunt.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Satis me dixisse puto de causis ulceris uterini, feminas a puerperio ultimo sæpe affligentis. Cum ergo hæmorrhagia abortiva, nec non extractio fœtus mortui & secundinarum retentarum violenta, vulnerationem facile, hinc abscessum ac veram demum exulcerationem (§. XXIII. XXVIII. & XXIX.) inducant, fœtus autem mortuus, membranis adhuc inclusus (§. XXVII.) item frusta carnosa & coagulata, uti in conceptione tubarum & ovariorum, (§. XXXI.) vel grumosa, qualia in suppressione lochiorum dantur, dispositionem tantum ulcerosam subeant; (§. XXXIV.) patet idcirco liquido, sub *ulcere uterino* duplicem statum esse assumendum, scilicet *ulceratum* & *ulcerosum*: ille manifestam læsionem & materiæ corruptæ jam purulentæ, jam ichorosæ stillicidium; hic infarctum atque collectionem scirrhosam absque notabili profluxu materiæ corruptæ innuit. Quid nunc ratione symtomatum, huic statui ulceroso vel exulcerato supervenientium, præcipue autem ratione prognoseos & curationis dicendum sit, paucis erit explicandum.

§. XXXVIII.

Ulceri uterino (§. XXXVII.) dolores in regione inguinali jungi, experimur. Testantur hi de tensione fibrarum nimia, ergo de resistentia vasorum imminuta & de motu tonico læso, (§. XVIII.) ergo de debilitate fibrarum (§. XIX. Maxime hic symbolum suum conferunt nisus parturiendi nimis intensi, quibus major affluxus sanguinis & expansio vasorum, hinc aucta magnitu-

gnitudo partis, quæ *tumor* ſalutatur, obſervatur. Sic nuper innotuit exemplum feminæ, quæ ex puerperio ob niſus parturiendi nimis intenſos & inde concitatum affluxum humorum majorem tumorem, ganglion dictum, acceptum retulit. Vindicat præ aliis ſignis præſentiam ulceris uterini effluxus materiæ fœtidæ, ſemipurulentæ, ichoroſæ, a puerperio transacto e genitalibus prodeuntis, conſpicuus, qui periodice recurrens *fluor albus benignus* appellatur. Variæ quidem dantur hujus fluxus cauſæ antecedentes, menſium nimirum fluxus ſuppreſſus, incongruus emmenagogorum, catarcticorum fortiorum & calidiorum uſus, læſio uteri & vaginæ a partu difficili & abortu crebriori inducta: omnes vero hæ cauſæ redeunt ad relaxationem nimiam glandularum & pororum uteri, unde lymphæ ſtagnanti corruptæ, ichoroſæ exitus paratur. Et quia in ſtaſi inflammatoria particulæ maxime agiles ſulphureæ, niſi ſucceſſive ſubtrahuntur, corruptionem & fœtorem concipiunt, ideo & materia hæcce e genitalibus profluens fœtorem ſpargere ſolet. Minime hic diſſimulandum eſſe duco, quod talis proventus materiæ fœtidæ ſæpe ſit cauſa rixoſi & infelicis matrimonii, quare qui Medicus hic opem ferre poteſt, rem præſtat duplici reſpectu acceptiſſimam.

§. XXXIX.

Affectibus, ulceroſo ſtatui uteri ſupervenientibus, omni jure accenſentur menſium ataxiæ, quæ motus ſunt irregulares, excretionem ſanguinis menſtrui reſpicientes. Uteri vaſa ſunt paululum tenera ac mollia (§. XV. no. III.) & fibræ vaſorum debiliores: (§. XIX.) Quare, ſi affluxus

ſanguinis major verſus hæc vaſa contingit, major expanſio & minor reſiſtentia vaſorum, adeoque excretio facilior pateſcit: Sed quia ſtatus ulceroſus infarctum & collectionem materiæ ſcirrhoſæ involvit (§. XIII.) & hæc circulo ſanguinis remoram ponit, ideo excretio ſanguinis menſtrui per genitalia ſubinde interrumpitur, & motus irregulares exſurgunt. Quo magis vaſa uteri fruſtis grumoſis concretis oppleta ſunt, eo minus liber circulus ſanguinis conſervatur, ergo & excretio ſanguinis menſtrui, quæ ſtata periodo redeat, turbatur.

§. XL.

Abortus crebrior ſæpe originem ſumit a ſtatu ulceroſo uteri. Cum enim fœtus in utero opus habeat nutrimento, quod ex placentæ vaſculis tenuiſſimis recipiat, (§. XVI. no. II.) ſequitur, ut, ſi ejusmodi locus ulceroſus in utero deprehenditur, verſus quem omnis lympha nutritia ruit, fœtui neceſſarium alimentum ſubripiatur, & fœtus prius, quam ſuum incrementum nactus eſt, accedentibus motibus uteri ſpaſticis, ejiciatur.

§. XLI.

Ante omnia a ſtatu ulceroſo uteri derivanda venit *ſterilitas*, quæ eſt impotentia concipiendi. Quamvis enim non negandum ſit, quamplurimas cauſas, ſi ſexum ſequiorem tantum reſpicimus, e. g. in ſtatu morboſo fluorem album, cachexiam, labem partium genitalium, obſtructionem tubarum Fallopii & hydropem ovarii ſterilitatem inferre poſſe, omnes tamen hæ cauſæ in eo collineant, quod fœcundationi ovuli ſint obſtaculo, adeoque cauſa ſterilitatis eſſe poteſt ſtatus ulceroſus, qui ſemini maſcu-

maſculino aditum ad ovarium denegat, vel certe idem exſtinguit, unde nulla fœcundatio ovuli, nullaque conceptio locum invenit.

§. XLII.

Tandem & ſtatus ipſe uteri exulceratus conſiderationi ſubjiciendus eſt. Quum exulceratio quælibet, præcipue cancroſa in partibus exſanguibus primitus ſedem figat, & corruptionem ſalſam ſeroſam pro cauſa agnoſcat, hæc vero ulterius ſerpens, partes molliores teneras devaſtando ac arrodendo, tandem etiam vaſa ſanguifera erodat, & ſic corruptionem plane putredinoſam & ſalſam excitet, (§. XXXV.) neceſſe eſt, ut vaſis uterinis venoſis, quæ ſanguinem ad cor revehunt, eroſis, materia hæc putrida, ichoroſa ſimul in maſſam ſanguineam revehatur, eique corruptionem eandem minitetur, unde virus hoc toti maſſæ ſanguineæ altius infixum ac remixtum motus febriles maxime exæſtuantes, qui febrem hecticam ſignificant, ac lethalem cataſtrophen mox inducit.

§. XLIII.

Ex præmiſſis exploratum habemus, quid ſub puerperio infelici intelligendum ſit. Tempus nimirum, partui paulo antecedens, partum concomitans, & eidem ſubſequens, quo uterus diſpoſitionem ad ulcerationem ſubit, *puerperii infelicis* nomine mihi venit. Infelix ob effectus infelices, tam ſtatui ulceroſo quam exulcerato ſupervenientes, prædicatur.

§. XLIV.

Ulcus, quod medicamentis facile cedit, *benignum* vocatur; quod omnia adhibita remedia eludit, *malignum*

 audit

audit. Quo propius medicamenta congrua ulceri, in quacunque parte externa corporis illud obvium sit, applicare possumus, eo facilius cedit, ergo benignum est ulcus: Sed visceribus internis exulceratis, speciatim utero exulcerato, item tubis Fallopii & ovariis, scirrhosa collectione oppletis, medicamenta directe & immediate admovere non possumus; ergo ulcus in his partibus uteri exortum omnino malignum est habendum. Dein cum ulcus uteri cancrosum duplicis generis materiam corruptam ichorosam & putridam (§. XLII.) dimittat, cui corruptioni reprimendæ & oppugnandæ medicamenta, quæ hodierni sunt usus, vix sufficiunt, & sectio in his partibus plane sit proscribenda, quilibet sane malignitatem ulceris hujus cancrosi uterini perspicit.

§. XLV.

Quicquid Medicus in ulcere uterino præstare potest, illud generatim in eo consistit, ut repurgando utero operam suam navet. Quando itaque sanguis tantum grumosus, ex suppressione lochiorum in utero relictus, vel frusta coagulata, fibrosa restitant, & vasa uteri sub partu rupta ægre ad unionem perducuntur, (§. XXV. no. I.) ulcus vero ex vasis & poris uteri ruptis, ægre consolidandis, ortum medicamentis congruis mature adhibitis facile cedit & prius, quam ipsa vera exulceratio uteri subsequitur, tunc dicitur ulcus benignum, (§. XLIV.) & in hoc casu sanationis cujusdam spes superest. Heterogenea omnia, in utero post puerperium relicta, *impuritates* dicuntur *uterinæ*, & hisce curatio nunc dicata esto. Reprobanda hic proh dolor! venit mala consuetudo feminarum, quæ ex pudoris ratione, minus fundata, ejusmodi

di ulcus recens benignum reticere ſolent, eoque neglecto in ulcus malignum, & ſic in febrem hecticam incurrunt. (§. XLII.) Præſtat hic potius prævenire, quam præveniri, & pudorem iſtum vanum deponere, ne ob ulceceris hujus benigni neglectum pœnam ſuo vitæ damno luant.

§. XLVI.

Uti in reliquis ulceribus, ſic in ulcere uterino benigno Medici intentio eo potiſſimum redit, ut

I. impuritates uterinas leniter abſtergere ac reſolvere ſtudeat. Quia autem ſola reſolutio ac colliquatio materiæ grumoſæ & coagulatæ in utero relictæ non ſufficit, ideo

II. materia hæc noxia eliminari quoque debet, quem in finem leniſſima evacuantia in uſum ſunt vocanda. Denique quum major ſubinde & nova humorum congeſtio & augmentum mali animadvertatur, (§. XXXIII.) neceſſe eſt,

III. ut hic affluxus humorum a parte læſa avertatur, ac conſolidatio promoveatur.

§. XLVII.

Abſtergunt & reſolvunt (§. XLVI.) impuritates uterinas.

I. Tincturæ antimon. ſal. tartar. liquor. terr. foliat. Eſſ. ſuccin. pimpin. alb. ſcord. alexipharm. Stahl. &, abſente febre, Eſſ. ſuccin. cum Tinct. cort. aurant. remixta, quæ partes coagulatas egregie reſolvit.

II. Salia media colliquantia, e. g. Tart. Vitriol. Arcan. duplic. Nitr. antimoniat. cum abſorbentibus citra-

tis remixta: ordo autem in propinandis medicamentis is obſervari poteſt, ut horis matutinis mixturæ, pomeridianis pulveres exhibeantur.

§. XLVIII.

Evacuant leniſſime impuritates uterinas abſterſas ac reſolutas pilulæ *Beccheri* congrue correctæ, quæ uti in reliquis morbis chronicis leniſſime & ſucceſſive impuritates evacuant, ita & præcipue in vitiis uterinis optimam adferunt opem. Nam cum hæ pilulæ leniori ſed tamen crebriori & repetito uſu impuritates quascunque iu utero relictas alterent, reſolvant atque ad excretionem præparent, præterea partibus quoque ſolidis debilioribus ac læſis robur quoddam concilient, ſane ob duplicem hunc fructum, qui ad ægrotantem redundat, reliquis purgantibus fortioribus, quæ, concitato juſto majori affluxu humorum, uno impetu ſtaſes pertinaciores non expediunt, ſed magis adaugent, palmam facile præripiunt.

§. XLIX.

Abſterſis ac evacuatis quodammodo impuritatibus uterinis derivatio denique affluxus humorum nimii a parte læſa obtinetur per decocta diaphoretico-diuretica, conſolidatio autem ſperatur ab herbis iſtis ſpecificis, quæ a *Paracelſo* maximopere commendantur, quæque, ut expertus ſum, aliquando votis medentium reſpondent. Conjungi autem cum illis poſſunt radices blande abſtergentes, e. g. fiat decoctum ex rad. ari pimpinel. alb. cichor. taraxic. polypod. liquirit. hb. hedeɪ terrcſtr. ſanicul. pyrol. veron. cum cortice aurant. & cinamomo. Eſt

qui-

quidem ejusmodi ulcus uterinum contumacis indolis, non omnis tamen animus est abjiciendus, etiamsi per temporis spatium curatio videatur sine conspicuo effectu. Aliquando enim hæc uteri ulceratio per usum horum medicamentorum vix intra spatium dimidii anni tollitur, quare hacce prognosi ægrotantem ad debitam patientiam excitare debemus. Quod si vero ægra diu continuati usus remediorum pertæsa esset, & effluxus materiæ ichorosæ nonnihil cessaret, tunc medicatio posset esse interrupta, ita quidem, ut singulis mensibus per septem tantum vel octo dies medicamenta continuarentur, usque dum restitutio in integrum facta sit. Quid menstrua hæc methodus in plerisque morbis chronicis & præcipue in affectibus uterinis valeat, attenta applicatio quemlibet docebit.

§. L.

Avertunt ac derivant etiam humorum affluxum a parte ulcerosa omnia, quæ sanguinis quantitatem imminuunt, atque excretiones per poros cutaneos juvant. Spectat huc

I. Venæ sectio, pro re nata vel circa æquinoctia vel quolibet trimestri potissimum in pede administrata. Imminuta enim sanguinis quantitate, effluxus etiam humorum versus partem ulcerosam imminuitur, ergo stases, abscessus ac vera demum exulceratio, quæ hecticam parit, (§. XLII.) avertuntur.

II. Motus corporis placidus, quotidie institutus, qui sicuti humores corporis nostri leniter concutit ac resolvit, ut debitam fluiditatem acquirant, ita etiam particularum in stasin deductarum, sed jam abstersarum

ſarum ac reſolutarum excretionem per poros cutaneos promovet. Quanquam autem hoc remedium feminis, ulcere uterino benigno detentis, admodum ſalutare, & in caſu nondum conclamato maxime commendandum ſit, quia quantitas humorum noxiorum, affluxum majorem producentium, per illud imminuitur, & partes ſolidæ, diſſipatis humoribus ſuperfluis, robur atque ſic motum tonicum recipiunt: dolendum tamen eſt, quod plurima hujus ſexus impedimenta illius uſum excludant.

§. LI.

Si ſtatus ulceroſus vel ulceratus non tam in partibus uteri interioribus, ſed magis exterioribus, in vagina uteri puta, cui medicamentis externis proxime accedere poſſumus, hæreret, injectiones ſeu clyſteres uterini, ex congruis mundificantibus & conſolidantibus parati, præcipue locum habent. Si abſceſſus tantum imminet, injectiones ex herbis diſcutientibus, puleg. ſerpill. majoran. thym. menth. criſp. meliſſ. cum aqua parantur: Si vero abſceſſus jam ruptus eſſet, eædem injectiones ex herbis diſcutientibus, additis herbis traumaticis, heder. terreſtr. ſanicul. pyrol. alchymil. parari & applicari poſſent. Conſolidationi præcipue inſervit oleum myrrhæ per deliquium, liquori injiciendo immiſcendum.

§. LII.

Priusquam adhuc vela contraho, modus, quo hoc pertinaciſſimum malum, niſi læſio violenta accedit, præcaveri poſſit, indicandus erit: Videlicet circumſtantiæ ante, ſub & poſt partum reſpiciendæ ſunt. *Ante* partum fuge-

fugere convenit diætam lautam, largiter vinoſam acaromatiſatam, item motum corporis nimis vehementem & animi pathemata, quibus commotio plethoræ & illius conſectaria (§. XXI. & XXII.) induci poſſunt. *Sub* ipſo partu niſus parturiendi præmaturi & nimis intenſi, quibus major affluxus humorum, ſtaſis & inde oriunda mala (§. XXXVIII.) producuntur, præcavendi ſunt, nec non calor nimius conclavis, in quo parturiens verſatur, diſſuadendus eſt. Denique *poſt* partum, ne aliquæ impuritates uterinæ relinquantur, ſtatim pilulæ *Beccheri* ſupra laudatæ, in aqua fœniculi vel meliſſæ ſolutæ, propinentur: ad præſcindendam autem febrem inflammatoriam, præcipue purpuram, hodierno tempore puerperis admodum infeſtam ac ſæpe funeſtam, pulveres febriles ex tartar. vitriol. conch. citrat. antimon. diaphoret. & nitr. depur. in decenti proportione commixti, per dies tres vel quatuor priores puerperii in vehiculo appropriato, ſeu in potionis forma exhibeantur, pilulæ vero per dies octo vel novem quotidie continuentur. Ceterum puerpera nimia integumenta & ſtragula, quibus calor major, ſudor nimius & purpura provocatur, item omnia remedia calidiora removeat, horumque loco potiones analepticas temperatiores, nec non animi tranquillitatem ſibi maxime habeat commendatam: quibus obſervatis, puerperii feliciſſimus erit

F I N I S.

E NOBI-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOM. CANDIDATO

IOANNI GEORGIO HOFFMANNO

S. P. D.

PRÆSES.

A *Quo tempore*, CANDITATE *nobilissime, academiæ nostræ civis fuisti, non solum eximiam in studiis diligentiam, sed etiam laudabilem in moribus honestatem ac modestiam nobis comprobasti: cumque jam in eo sis, vt a* FRIDERICIANA *lauream imponendam iure merito exspectes; singulare profecto dissertationis inauguralis argumentum ad probandam industriam* TVAM *elegisti. Videlicet* vlcus vterinum, *quod, cuiuscumque gradus sit, frequentius in praxi, quam quidem in scriptis Medicorum occurrit, & discrepantis matrimonii familiaris auctor est. Equidem thema* TVVM *eo scribendi genere explicasti, quod a doctrina antiquorum periodica longius recedit, neque in schola medica adeo vsitatum est: quoniam autem illud multis hodie placet,*

cet, qui maiorem in eo perſpicuitatem & commodiorem demonſtrationem ponunt; perinde erit lectori, quocumque ſtilo perutilem hanc materiam elaboratam offendat. Interim teſtor, aliquos me habuiſſe tirones, qui hac via obſcuriores facti priſtinam planiorem methodum elegerint. Supereſt, vt fauſta TIBI *feliciaque omnia ex animo apprecer. Vale. Halæ Magdeburgicæ d. X. Aprilis MDCCXLI.*

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DN. IOAN. GEORG. HOFFMANNO

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

IOANNES AVGVSTINVS STOELLERVS

SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIVS ET ARCHIATER.

E*X proxima epiſtola* TVA, Honoratisſime Amice, *intellexi, quod appropinquet tandem jucundiſſimum illud tempus, quo Cathedram adſcendere, & poſtmodum ad Vindesheimenſes noſtros dignitate Doctorali redire, Tibi conſtitutum eſt. Non improbo hocce propoſitum Tuum. Sed ſicuti omnibus iis,*

 quæ

quæ hactenus Tibi fausta grataque contigerunt, gaudio multo affici solitus sum, ita & in præsens Tibi novos honores gratulor. Meæ enim admonitioni ac commendationi, idque, ut ominor, haud sine jucunditate animi & summo rerum Tuarum emolumento dedisti, ut Halam-Saxonum adieris. Siquidem per regulas artis & exempla ibidem, imprimis in domo Illustr. D. D. IVNCKERI, *ubi maximus quotidie numerus ægrotantium confluit, & quem nunquam non Virum sincerum atque Fautorem exoptatissimum nominare licet, medicinam ita addidicisti, ut ea nunc plurium hominum miseriam, annuente Numine divino, feliciter sublevaveris. Ante alia ex thesauro eruditionis Tuæ, judicioso animo practica quædam, de Puerperio infelici ulceris uterini frequentiori causa, inaugurali Tua dissertatione proponere suscipis, & docta eorundem discussione profectuum Tuorum non solum in arte medica, sed & chirurgica elegantiam abunde comprobas, sicque ex omni parte id adimples, quod a candidato conscientioso, docto, cordato & perito requiritur. Quod læsiones uteri aliarumque partium genitalium muliebrium attinet, exempla plura subministrare possem, quorum alia, ad dissertationis Tuæ lineam, periculosa, alia plane funesta ex partu difficili resultarunt. Sed de his impræsentiarum prolixius*

esse

esse nolo, dum argumenti illius testimonia & observationes, ut ipse transcribis, in amplissima praxi Iunckeriana permultas jam jam collegeris. Agedum procede, auxiliante Deo, ad officia practica, fruere iis, quæ a magistrorum artis Machaonicæ illustrium dogmatibus & experientia ubique locorum hausisti, cum secundum Cicer. de fin. l. I. *non paranda solum nobis, sed fruenda etiam est sapientia. Amorem interim meum, quo Te amo & constanter amabo, hisce perspici publice cupio. Vale & plurimam salutem* Vindesheimensibus *nostris a conterraneo nuntia. Dabamus Isenaci d.* VIII. *April* A. M. R. MDCCXLI.

QUid faciam, ut dulci persolvam munus Amico?
Artis Pœoniæ nam chorus omnis adest.
Si possem Pindi sacros errare per hortos,
Ac desueta mihi per loca ferre pedem;
Tunc vellem e multis doctam Tibi carpere Laurum,
Vt chari capitis tempora fronde tegat:
Et sic mortiferos morbos fugare peritus
Incipies medicas applicuisse manus.

Georgius Ludovicus Rosa
OPPON.
Thuringico-Ferrariensis.

Belohnet man den muntern Fleiß,
So steigen auch die Wissenschafften,
Und wo man die Belohnung weiß,
Da wird leicht die Begierde hafften,
Vermöge der wir uns bemühn,
Dem Unverstande wohl und klüglich zu entfliehn.

Hoch-Edler Freund, Du hast **Dein** Pfund
Wohl angelegt und nicht vergraben;
Du gehst auf Richtigkeit und Grund
Und wilt nicht bloß den Nahmen haben,
Auf den sich mancher Stümper steifft,
Wenn er mit schlechten Recht den Doctors-Hut ergreifft.

Du aber nimm ihn freudig an,
Du hast denselbigen verdienet.
Ich wünsche Glück so viel ich kan;
Und wann **Dein** Wohl recht wächst und grünet,
So nehm' ich Theil und will mich freu'n:
Du aber wollest mir hinfort gewogen seyn.

Mit diesem wolte dem **Hoch-Edlen** Herrn Doctor zum geneigten Andencken sich empfehlen

C. D. Beurer,
Norimb. OPPON.

NOmen, Amice, tenes, quod solida facta probabunt:
HOFFMANNVS vincens parta tropæa refert,
Sique viri celebris vestigia pressa sequaris,
HOFFMANNI MAGNI nomen & omen habes.

Accipe itaque hæc pauca, amice suavissime, quibus fidelis amicus atque sincerus favori memoriæque tuæ se commendare studet

C. F Donner.
OPPON. Siles.

Non

NOn ſinit in lectis homine m requieſcere virtus,
Sed iuuat e tenebris denique ferre caput.
Credita non ventis, memori ſed pectore culta
Semina doctrinæ, pagina docta docet.
Ruricolæ pulchre florens quid proderit arbor?
Ipſi ni fructus efferat illa ſuos.
Ars ſic ſanandi nil ſpiſſis tecta tenebris
Proderit, & patriæ commoda nulla feret.
Hæc agitans animo pugnam meditaris amicam,
Et mentis vires ſiſtis, AMICE, TVAS.
Victorem fortem poſt prælia palma ſequetur,
In meritas laudes, in patriæque decus.
Nunc tandem Medicus, nunc Expertiſſimus audis:
Ornat TE titulis infula parta nouis.
Expertus Phœbi cathedras, HOFFMANNE COLENDE,
Scandiſti ſacras plauſibus ecce piis:
Et noua doctrinæ monſtraſti ſigna Galeni,
Expertus merito diceris inde redux.
Auſis applaudo, TIBI gratulor, atque beatos
Per te natales prædico iure lares.
Plaudite Magnates, cives, Vinshemia plaude,
HOFFMANNVM vobis FRIDRICIANA dedit.
Quos ſubeunt morbi gravibus cruciatibus vſſos,
Qui laſſos artus, pallida membra trahunt:
Cuius decerpit vires ac arida febris
Senſim depaſcit, quosue podagra ſecat:
Plaudite, Phœbus adeſt, omnisque puerpera plaude,
HIC bene depellet pectore cuncta mala.

Vade

Vade bonis auibus, patriosque invise penates,
Atque feras ægris post quoque promtus opem.
Sis semper saluus, sis faustus in arte medendi,
Sic medica cunctis arte leuamen eris.
Macte noua virtute TVA, sic itur ad astra,
Sic, HOFFMANNE, TVVM nomen vbique sonat.

Hæcce Nobilissimo ac Doctissimo **Dno.** DOCTORANDO, *Ciui atque Amico suo æstumatissimo in beneuolam sui memoriam gratulabundus apponebat*

IOANNES CHRISTIANVS Müller,
Neustadio - Baruthinus
S. L. Cultor.

